



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt**

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali  
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

**Strunck, Michael**

**Neuhusii, 1715**

B. Gerwicus vel Guerricus de Volmundstein ex nobili Westphalo Religiosus  
Cisterciensis & fundator Monasterii Waldsassensis in Palatinatu Bavariae

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28481**

esse, quàm ceram crucémq; retrahat à fenestra. Tum illa se deceptam serò videns, primum altos è corde suo dolores ducere; mox etiam, quidquid sputorum poterat, in impostorem ejicere, & per invocationem sanctissimæ TRINITATIS adjurare, suo ut se conspectui subducat illico, nec pedem referat, quem in domunculam Deo sacram fallaciter intulisset. Vixit exinde in summâ pietate, demissione, & virtutum splendore maximo, tandemq; beato obitu ad superos evolavit, die 15ta Februarii. Floruit circa annum 1200 vel paulò antè.

## B. GERWICUS vel GUERRICUS

Ex nobili Westphalo primum Eremita, postea Religiosus Cisterciensis & Fundator Monasterii Waldsassenfis in Palatinatu Bavarix.

*Refertur cum titulo Beati à Bohuslao Balbino in Bohemia sancta part. 1. §. 25. Gelenio de Colonia Agrippin. magnitud. l. 2. Syntagm. 14 pag. 163. Bucelino in Menolog. Benedictin. ad diem 5 Octobris. Chrysof. Henriquez in Menolog. Cisterc. ad eandem diem. Agunt de eodem Gaspar*

*Gaspar Bryschius in Chronologia Monasteriorum Germaniae. Gaspar longelinus in notitia Abbatiar. Ordin. Cisterc. de Waldsasso in Bavaria. Angelus Manrique in annal. Cisterc. to. 1. pag. 257. ad annum 1133 c. 7. Vita ejus desumpta est ex iisdem.*

**M**ULTOS Sanctæ solitudinis amatores, qui inter feras cœlestem in divinis laudibus vitam agitabant, Principum venatio prodidit, Macedonium in Syria, Ægidium in Gallia, Iwanum in Bohemia, Gerwicum in Palatinatu Bavarix ad Waldsaffum haud procul [a] Egra Bohemiæ urbe. Erat hic ex antiquissima familia Dynastarum de Volmundstein, divitiis & nobilitate præpotens ad fluvium Ruram in Comitatu Marchiæ. Studiis equestribus à prima ætate dedit<sup>o</sup> nulla ponebat in re plus honestatis & gloriæ, quàm in ludis Circensibus & hastarum certamine. Quo in exercitio cum parem sibi reperisset Theobaldum, vel ut alii nomine vetusto vocitant, Diepoldum Marchionem de Chamb & Vohburg; notitiæ contrahendæ causâ cum convenit in castro Vohburgensi medio ferè itinere Ingolstadium inter & Ratisbonam sito,

[a] Egra urbs ad fines Bohemix & Palatinatum Bavarix.

breviꝫ, (ut propter communia studia fieri so-  
 let) tantum inter ambos amicitiaꝫ foedus coa-  
 luit, ut Thesei & Pirithoi exemplum in iis re-  
 novatum esse crederetur. Et quanquam  
 Theobaldus jam vinculis matrimonii adstri-  
 ctus, proleꝫ non una auctus esset; quia ta-  
 men res & regiones varias curiosius circum-  
 spicere utrique in desideriis erat, concordi-  
 bus animis ad aulas omnium Principum, in  
 quibus Germanicæ nobilitatis experiundæ  
 gratiâ equestres ludos institui comperissent,  
 unâ se contulêre, virtutis ac fortitudinis suæ  
 specimen ibidem edituri. Sed infelix dein-  
 de casus sufflaminato tot itinerum, cursu in-  
 tervertit omnia. Cùm enim per ludum ali-  
 quem in subita quadam ac promiscua pluriũ  
 cataphractorum commissione singuli in sin-  
 gulos quasi cæco impetu & Andabatarum  
 more adversis hastis irruerent; nescio quâ su-  
 perũ dispositione fortuna tulit, ut Gerwi-  
 cus incurreret in suum Thesea Principem  
 Theobaldum, hastâꝫ illum ita feriret ex ad-  
 verso, ut vel [b] oculorum alterum impru-  
 denti jactu ipsi expungeret, vel, ut alii refe-  
 runt, effractâ per assultum galeâ ejus gutturi  
 lethale vulnus intorqueret. Magnus dolor

G

ex

[b] *Bohusl. Balbinus loc. cit.*

ex hoc eventu invasit utriusque animum. Et Gerwicus quidem damnatis postmodum tam inauspicatis feralibusque ludis Monasterio Siburgensi se inclusit haud procul à Colonia ibidemque institutum S. Benedicti magna devotione complexus est. Theobaldus vero amicam discessionem factam ad suos reversus, cum propter uxorem, liberos & avitæ Provincie gubernationem rebus sæcularibus non posset omnino valedicere; tamen, ut pietatis studia per alios promoveret, aliquot milliaribus supra Ratisbonam novum sua in ditione Monasterium condidit, quod modò Reichenbachium dicitur, ædificiis ac primævæ religionis flore adhuc conspicuum. Interea Gerwicus post annos aliquot pientissimè decessos singulari humanitate sua peregrinorum adventantium curæ & susceptioni in cœnobio Siburgensi admotus erat: quo tempore cum Reverendissimus Cuno Ratisbonensium electus Episcopus eodem per iter divertisset, B. Gerwici virtute ac sapientia mirificè captus, instantissimis precibus Abbatem obtinuit, ut sibi liceat unam secum ducere, atque in Diocesin suam transportare: ad hæsurum semper suo lateri, omnis fortunæ socium fore, consiliorum participem, actio-

num inspectorem. Facile in ejusmodi postu-  
lata descendebat Abbas ; neque Gerwicus  
tunc saltem ostendebat, animum sibi ab hoc  
itinere suspiciendo alieniorem esse : at ubi  
Ratisbonam appulsus molestias & inquietu-  
dinem Episcopalis aulae non nihil degustave-  
rat, nullis deinde argumentis induci potuit,  
ut inter ejusmodi turbas moram vitae ulterio-  
rem faceret, ratus forsitan sibi intus à Deo di-  
ctum, quòd olim S. Arsenio in aula Theodo-  
sii Imperatoris : *Fuge, tace, quiesce.* Itaque  
continuis obsecrationibus fatigabat aurem  
Cunonis, nec prius à petendo desisteat, quàm  
ille datis etiam literis copiam sibi faceret in-  
eremum recedendi, conquirendique locum  
in diœcesi sua, quem judicaret erigendæ Mo-  
nachorum congregationi maximè accomo-  
datum. Missione impetrata cum aliquot sui  
consilii sociis velut peregrinabundus in silvã  
incidit abstrusam penitus, nec nisi solis vena-  
toribus vastissimã densitate perviam. Ibi dum  
succisis aliquot arboribus, nondum salutato  
fundi Domino ædiculam atque oratoriũ pro  
se suisq; cœpisset machinari, ecce tibi ! vena-  
tionis exercendæ gratiã, Egrana ab urbe sua  
prodit Theobaldus Marchio, partemq; suæ  
silvæ resectam conspicans magno furore a-

nimi rogat laborantes fratres : quis ibi locorum citra facultatem suam opus aggredi aut ædificii quicquam moliri audeat ? Tremunt omnes ad vocem & verba Principis subsidit labor, fatiscunt operæ : Gerwicus animo præsentior, quàm cæteri, ad Theobaldi adhuc ignoti pedes accidit, nomen & originem suam interrogatus paucis explicat, & quo consilio permissuq; in eam solitudinem se intulerit, extemporali oratione submissè ob oculos ponit, commonstratis insuper literis, quas eam in finem à Cunone Episcopo acceperat abiturus. Quis tunc Theobaldo consternatior ? feras quæstiverat, & hominem inter feras offendebat, quem inter homines minimè reperisset, videlicet Gerwicum illum tam sibi charum aliàs & æternæ necessitudinis vinculo conjunctissimum. Nec mora : gaudiorum ac lætitiæ plenus ex equo descendit, amicum veterem suavissimè amplectitur, vulneris quondam accepti cicatricem exhibet, eóq; bonis animis esse jusso non modò consiliū approbat de construenda, quam modò cœperat, Anachoretarum domo; sed etiam veteris amicitiae studio tantum illi silvarum ad monasterii alicujus ædificationem donat, quantum ipse diei unius intervallo posses-

posset ambulando circumire. Tum verò in-  
 exspectatis lætitiis perfundi sociorum animi,  
 omnes ad futurum opus magnis conatibus se  
 accingere, silvas extirpare, ligna cædere, saxa  
 convehere, inventoq; non procul inde amœ-  
 nissimo pitculentoq; amne Monasteriũ ibi-  
 dem ad ripam collocare, quod latine Wald-  
 sassum, teutonicè verò **Waldsassen** / quasi  
 eremicolarum vastoq; in nemore confiden-  
 tium stationem appellari voluere. Vivebat  
 adhuc eã tempestate S. Bernardus Cisterci-  
 ensis instituti magnus propagator, qui tunc  
 in terra Burgundionum Cœnobio Claraval-  
 lensi Abbas præerat. Ad hunc Gerwicus fe-  
 stinatis itineribus advolans Monachos in-  
 stanter petit, qui novellæ huic domui suæ re-  
 formatam ejus vivendi rationem inducerent.  
 Placebat sumopere Divo Bernardo tam lau-  
 dabile B. Gerwici studium: sed quæ tum for-  
 tè religiosorum penuria ob varias colonias  
 jam aliò transmissas ibidem fuit, nec ipse nec  
 Abbates alii, ad quos in ea profectioe per-  
 ventum erat, subsidiariam illi suorum ope-  
 ram commodare tam citò poterant. Quare  
 in Thuringiam ultrà compulsus progredi ad  
 Abbatiam Walckenredensem iter vertit: ubi  
 cum tres eximiæ sanctitatis & ejusdem insti-



tuti viros tandem consecutus esset, ex templo  
 Waldassum rediens non modò inchoatæ ha-  
 hitationis ædificia feliciter absolvit, sed eti-  
 am se sociosq; suos reformationi à S. Bernar-  
 do cœptæ protinus subjecit, accedentibus  
 undequaque, ut commodiùs viverent, homi-  
 num piorum largis donationibus eleemosy-  
 nisq;. Hæc fuere initia celeberrimi illius  
 Cœnobii Waldassensis, quod Cisterciense  
 centesimam oviculam, quippe centesimum  
 sui Ordinis domicilium posterioribus annis  
 appellârunt. Quantum exinde temporis  
 Gerwicus huic ætati superjecerit, quo anno  
 diève mensis ex humanis ad superos evoca-  
 tus fuerit, non omnino pro certo dixerim.  
 Chrysoftomus Henriquez, Gabriel Buccelli-  
 nus & Ægidius Gelenius in fastis Colonien-  
 sibus eum celebrant ad diem 5tam Octobris  
 Cœnobii autem Waldassensis exordia à Ga-  
 spare Jongelino & Angelo Manrique sup-  
 citatis referuntur ad annum 1133. & 1334.

## B. GODEFRIDUS

è Comite Capenbergensi Canonicus Pra-  
 monstratensis, & variarum hujus Ordinis  
 Ecclesiarum Fundator.

*Refertur passim apud Authores cum titulo Sancti*